

Confirma los dos privilegios que su abuelo don Alfonso VIII. dio a los abades don Juan y don Diego, y al monasterio de santo Tomé del puerto de Fozarach

Tam presentibus quam futuris notum sit, ac manifestum, quod ego Ferrandus Dei gratia rex Castelle, et Toleti, Legionis, et Galletiæ, inveni privilegia ab illustrissimo avo meo rege Alphonso bonæ memoriæ condita in hunc modum:

*Quoniam pium est, et illis precipue convenit quibus potestas in mundanis celitus est concessa, Religiosos ab inimicorum enormitate defendere, presertim eos qui inter impios assiduis nequam ictibus impelluntur, et solius divine sufragia visitationis expectant. Idcirco ego Aldephonsus Dei gratia rex Castelle, et Toleti, una cum uxore mea Alienor regina, et cum filio meo Ferrando, divino intuitu pro animabus parentum meorum, et salute propria concedo, et confirmo domui, et ecclesie sancti Thome, quæ est in portu de Fozarach, et vobis Joanni eiusdem, instanti abbati vestrisque successoribus, et omnibus canonicis, sub regula beati Agustini ibidem degentibus presentibus, et futuris omnes hereditates vestras, et possessiones quascumque in termino de Septempública emptione, seu oblatione fidelium actenus adquisivistis, quas propriis duximus exprimendas vocabulis. Imprimis omnes hereditates quas prope monasterium habetis in circuitu, et quam in Las Radas emistis, et domos quas habetis in Septempública, necnon, et hereditatem quam habetis in Verzemol, et hereditatem cui nomen imposuistis Nonuospel juxta aldeam novam, et hereditatem quam habetis in aldea quæ dicitur Maria Felices, et illam quam habetis in Bocegilas, et illam quam habetis in aldea de Turre, et illam quam habetis in aldea de sancte Marie de Duraton, et quam habetis in aldea de Cerelo de suso, et quam habetis in valle de don Gomez, et quam habetis in la foz de Gafielos, et quam habetis in **valle de Simeon**, et quam habetis in Negerola, et quam habetis in Moliniela, iure hereditario in perpetuum habendas, et irrevocabiliter possidendas cum vineis, hortis, aquis, rivis, molendinis, nemoribus, pratis, pascuis, et defessis, et cum omnibus directuris, terminis, et pertinentiis suis ad predictas hereditates pertinentibus. Decernimus igitur, ut nulli subiectorum nostrorum liceat omnino vos vel vestros successores super aliquam predictarum hereditatum temere conturbare, et contra huius nostre institutionis edictum, eam sibi usurpare. Si quis vero hanc cartam infringere, seu in aliquo diminuere presumpserit, iram Dei omnipotentis pienarie incurrat, et cum Juda Domini proditore infernalibus subiaceat penis, et insuper Regie parti mille aureos in coto persolvat, et damnum quod vobis intulerit, duplicatum restituat.*

Per presens scriptum notum sit tam presentibus, quam futuris, quod ego Aldephonsus Dei gratia rex Castelle, et Toleti, una cum uxore mea Alienor regina, et cum filiis meis Ferrando, et Henrico, libenti animo, et voluntate spontanea, facio cartam concessionis, confirmationis, et stabilitatis vobis D. presenti abbati de sancto Thome de portu de Fozarach, et vestris successoribus, totique eiusdem domus conventui presenti, et futuro, perenniter valituram. Concedo itaque vobis, et confirmo ut totam illam hereditatem, quam pro salute sua Petrus Brun de Aillone, ex consensu suorum fratrum et aliorum suorum consanguineorum vobis donavit, illam videlicet quam habebat in Saldanna, aldea de Aillone, iure hereditario cum omnibus suis pertinentiis ut habeatis, et irrevocabiliter perpetuo possideatis. Et ego prenomatus rex Ferrandus, una cum uxore mea regina Beatrice, et cum filiis meis Alphonso, Frederico, Ferrando, et Henrico, ex assensu, et beneplacito regine domne Berengarie genitricis mee,

supradicta privilegia, concedo, approbo, et confirmo, mandans, et firmiter precipiens, quod perpetuo et inviolabiter observentur. Si quis vero hanc cartam mee confirmationis infringere, seu in aliquo diminuere præsumpserit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat, et Regie parti mille aureos in cauto persolvat, et dampnum, super hoc illatum predicto monasterio restituat dupplicatum. Facta carta apud sanctum Stephanum, II. die septembris. era M.CC.LX. nona. Et ego prenominatus rex F. regnans in Castella, et in Toletis, Legionibus, et Gallecia, Badaioicio, et Baetia, hanc cartam quam fieri iussi, manu propria roboro, et confirmo.

*Rodericus Tol. Sed. Archiepiscopus Hisp. Primas conf.
Infans dopnus Alphonsus filius domini Regis conf.
Bernaldus Compostelane Sedis Archiepiscopus conf.*

<i>Mauricius Burgensis Epus. c.</i>	<i>Alvarus Petri c.</i>
<i>Tellius Palentinus Epus. c.</i>	<i>Rodericus Gonzalvi c.</i>
<i>Bernaldus Segov. Epus. c.</i>	<i>Garsias Ferrandi c.</i>
<i>Lupus Seguntinus Epus. c.</i>	<i>Guillelmus Gonzalvi c.</i>
<i>Dominicus Abulensis Epus. c.</i>	<i>Tellius Alfonsi c.</i>
<i>Joannes Calagurritanus Epus. c.</i>	<i>Didacus Martini c.</i>
<i>Gonsalvus Conchensis Epus. c.</i>	<i>Rodericus Roderici c.</i>
<i>Ecclesia Placent. vacat.</i>	<i>Alfonsus Sueri c.</i>

Joannes Oxomensis electus et domini Regis Cancellarius conf.

<i>Joannes Ovetensis Epus. c.</i>	<i>Rodericus Gomez c.</i>
<i>Roderic. Legion. Epus. c.</i>	<i>Rodericus Ferrandi c.</i>
<i>Nunnius Auriens. Epus. c.</i>	<i>Ramirus Frolez c.</i>
<i>Martinus Zamor. Epus. c.</i>	<i>Didacus Frolez c.</i>
<i>Martinus Salamantic. Epus. c.</i>	<i>Rodericus Frolez c.</i>
<i>Michael Lucensis Epus. c.</i>	<i>Ferrand. Joannis c.</i>
<i>Michael Civitat. Epus. c.</i>	<i>Ferrandus Guterrii c.</i>
<i>Petrus Cauriensis Epus. c.</i>	<i>Pelagius Arie c.</i>

*Alvarus Roderici maior Merinus in Castella c.
Sancius Pelagii maior Merinus in Gallecia c.
Garsias Roderici maior Merinus in Legionibus c.
Paulus Sancii iussu predicti Cancellarii scripsit.*

La rueda dice en lo interior: Signum Ferrandi Regis Castelle, Toleti, Legionis, Gallecie. En lo exterior: Lupus Didaci de Faro Alferiz dñi. Regis conf. Gonzalvus Roderici Maiordomus Curie Regis conf.

Sello de plomo pendiente, en el anverso un castillo con esta leyenda alrededor: S. Ferrando Regis Castelle, et Toleti. En el reverso un león, y esta leyenda: Legionis, Gallecie.

Memorias para la vida del santo rey Don Fernando III

Andrés Marcos Burriel ; dadas a luz con apéndices y otras ilustraciones por Miguel de Manuel Rodríguez